nemo est, qui sentiat, talem evagationem religioso non convenire, maxime tamen si religiosus talis sit in officiis, quae congruenter expedire nequit, nisi multarum rerunt experientia sit edoctus: sicut est officium praedicationis, quod utique virum intelligentem scripturas, expertum et imperterritum, requirit. Cum ergo ego F. F. F. ordinis praedicatorum, per superiores meos ad praedicationis officium exercendum sim missus, et per patres nostrae provinciae, more ordinis, praedicator generalis constitutus, ex eo tempore, quo praedicare inchoavi Jesum Christum, natum de virgine, passum et mortuum in cruce, concepi desiderium et propositum videndi loca illa sanctissima nativitatis, vitae, mortisque Jesu Domini nostri Salvatoris. Et quamquam ad scientiam praedicatori necessariam satis conferant documenta evangelica et apostolica, quae sanctorum studiosa lucubratione exornantur in dies, (B) ac per divini verbi declamationes cottidiana explanatione elucidantur: Non parum tamen ad eam ipsam conducit dictorum peragratio, et sub oculis conspectio locorum, in quibus, quamquam per exemplum facta, dicta, aut passa dictim aut legimus aut audivimus. Quam autem multum conferat inspectio illorum locorum sanctorum ad sacra scripturae intellectum, testatur B. Hieronymus in prologo 1. Paralipomenon, ubi sic dicit: Sicut graecorum historias magis intelligunt, qui Athenas viderint; et tertium Virgilii librum, qui a Troade per Leuchatem; et Acroceraunia ad Siciliam, et inde ad ostia tyberis navigaverint: Ita sacram scripturam lucidius intuebitur, qui Iudaeam oculis contemplatus est, et antiquarum urbium memorias locorumque cognoverit. Unde et nobis curae fuit, cum eruditissimis hebraeorum hunc laborem subire, ut circumiremus provinciam, quam universae ecclesiae Christi sonant. Haec ille (Tom. 3. praefat. altera ad Domnion, Fol. 20. C.) Si ergo S. Jeronymus, vir illuminatissimus, ingeniosissimus, voluit sancta loca circuire, ut sacras scripturas melius posset intelligere, quid mirum, si ego et mei similes, quibus et ingeniolum rude, intellectus obtusus, conemur per eundem modum aliquantulam sacrarum scripturarum intelligentiam acquirere, praesertim cum etiam nunc ad oculum cernamus, quod puri laici, quibus nulla scripturarum sacrarum consuetudo, postquam peregrinando ad loca sancta migraverint, indeque redierint,

040
038
044
034
049
029
089
139
Ende
Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;